

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 7522

**Auteur(s) :** Gilles de Gourchelles [particulier]

**Bénéficiaire(s) :** Saint-Jean de Jérusalem (ordre)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1202, septembre

**Lieu d'émission :** Aumale

**Action juridique :** donation

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Fondation et coutumes d'un village à Gourchelles, dans l'ancien doyenné d'Aumale.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Delisle Léopold, *Études sur la condition de la classe agricole et l'état de l'agriculture en Normandie au Moyen Âge*, Évreux, Hérissey, 1851, Appendice III, p. 652-655 (« 665 » pagination incorrecte).

Texte établi d'après a

Notum sit, tam presentibus quam futuris, quod ego Gila et ego Marsilia de Golocelles dedimus et concessimus in perpetuum predictam villam de Golocelles sainte (sic) domui Hospitalis Jerusalem, videlicet sessionem ville ab orto Herman de Copigni usque ad terram del Val de la Haie, ex utraque parte vie. Similiter ecclesiam sine alterius participatione in perpetuam elemosinam concessimus, et medietatem decime ejusdem ville, dominis Hospitalariis imponentibus sacerdotem. Et hec concessit Hugo de Caigny, in cujus feodo ipsa villa sita est, et de hac concessione recepit ipse Hugo de caritate domus Hospitalis lx solidos et unum equum et duas vacas ad opus domine. Nos eciam concessimus terram scilicet ad hospitandum quinquaginta hospites, et unicuique predictorum quinquaginta hospitum dedimus octo jornalialia terre simul cum orto et cum masura sua. Magister Hospitalis et ego Gila et ego Marsilia statuimus consuetudines ejusdem ville, Preterea statutum est quod ego Gila et ego Marsilia daremus unicuique mesure quater viginti pedes terre in longitudinem et tantum in latitudinem, et pro quater viginti pedibus terre predictis reddet unusquisque hospes Hospitali duodecim belvacenses ad festum sancti Remigii, et duos panes et duos capones et duas minas avene ad Natale Domini, sine participatione alterius ; et pro orto arabili reddet unusquisque hospitum domino tales reddituus (sic) ad tales terminos sine participatione Hospitalis. Hii redditus recipiendi sunt in domibus hospitum a domino vel famulis ejus, et similiter ab Hospitali, ita quod hospites non movendi (l. moturi) sunt redditum avene extra domos suas nisi spontanea voluntate. Preterea ego Gila et ego Marsilia concessimus communitati ejusdem ville nemus del Faiel et nemus Hugonis. Et, si aliquis hospitum predictorum inventus est in nemore defenso domini, pro ullo forefacto quod faciant (sic), non dabit de emendatione preter duodecim belvacenses, placito deducto in omnia Hospitali. Et, si homo Hospitalis inventus sit extra nemus, ita longe quod sit (l. possit) vertere onus suum inter se et nemus, non poterit implacitari. Preterea, ego Gila et ego Marsilia dedimus predictam villam Hospitali tali conditione, quod unusquisque hospes, in anno quo octo jornalialia terre plena erunt, reddat domino sex garbas de dono de tali blado quale in terra fuerit. Preterea, quando hospes Hospitalis debebit dare terragium suum, oportebit eum ire pro famulo domini, qui, si venire noluerit, oblato plegio, ibit ad famulum de Valle Haie, et, si pro famulo noluerit terragiare, ipse famulus terragiabit, et terragium mittet in

custodiam communem, donec jus audiatur inter eos in curia Hospitalis. Preterea, pro forefacto quod fiat in villa vel extra, non potest dominus manus mittere in catalla hominis Hospitalis. Preterea, si contigerit quod aliquis hospitem moriatur, heres sine relevamine ad hereditatem reddibit (sic). Et statutum est, quod hospes Hospitalis non debet corveam nec tailliam Hospitali nec alii, nisi comiti Albemarle ad reparandum fossatum a porta de Folrinetra (?) usque ad murum castri, cum (?) hominibus de feodo Hugonis de Caigni et domini Gerardi. Et, si hospes Hospitalis pauper fuerit, bene poterit invadiare aut vendere aut dare filie sue in matrimonio, pro numero pecunie, sine licencia dominorum, alicui qui tamen faciat, quantum ipse faciebat, omnes redditus. Et omnia forefacta ejusdem ville infra cruces et extra in feodo ville Hospitali pertinent ; placita forefactorum extra cruces deducenda sunt in curia Hospitalis ; emendationes vero domino pertinent sine participatione Hospitalis. Et, si aliquis possideat x oves aut plures, unum arietem unius anni dabit Hospitali in festo sancti Johannis Baptiste sine participatione domini. Et, si unus (l. minus) quam xx (l. p. e. x) possideat, pro qualibet ove dimidium oboli belvacensis persolvat. Et, si clamor de effusione sanguinis acciderit infra cruces, clamans pro sanguine unum solidum vj denarios belvacenses Hospitali dabit sine participatione domini ; et, si extra cruces contigerit, eandem emendationem domino reddet per curiam Hospitalis. Pistores ejusdem ville debent singulis ebdomadis reddere Hospitali j panem unius oboli belvacensis de estolagio et tantumdem de furnagio. Furnus ville pertinet Hospitali, et ad expensam Hospitalis debet fieri. Defensio nemorum de Goleceles non durat nisi de monte de Goleceles usque ad nemus del Maisnil. Si hospes Hospitalis aret juxta nemus, poterit capere harces (?) et melleum (?) sine causa domini. Et totum nemus a monte de Goleceles usque ad novam viam datur communi pascuo ville. Greiguum et aliud nemus datur ad disruptendum hospitibus. Si aliquis in curia Hospitalis implacitetur, si stupefactus vel indescretus (sic) stulte aliquid dicat, semel et secundo et tercio ad sermonem discretum sine causa redibit. Preterea, si dominus nemus suum vendiderit, tandiu poterit illud gravare donec bestie non possint summitatem illius attingere ; postea in communi herbagio redibit. Frater Hospitalis vel famulus ejus, quicquid accidat, debet inveniri in villa et non extra queri. Aliquis juratus de villa non debet secum adducere extraneum, si conjugatus fuerit, nisi de juratis. Et, si dominus quesierit ab aliquo eorum ipsum plegiari, usque ad v solidos debet ipsum plegiare ; et, si dominus permiserit ipsum incurrere, numquam amplius dominum plegiabit, et sic de singulis. Et, si aliquis istorum alicubi impediatur, a jurato suo, si superveni, debet ipsum (l. ipse) plegiari usque a[d] v solidos belvacenses et eciam ad villam rediemitur (l. reducitur) ; de catallis jurati impediti debent solvi ; et, si catalla defuerint, de communitate ville debent restitui. Et, si aliquis hospitem ab extraneis impeditus fuerit, frater Hospitalis per unum diem propria expensa debet eum vel res suas requirere, et postea, expensa hospitis. Et, si tantum pauper fuerit et (l. quod) non valeat sufficere ad expensam suam, de communitate ville debet fieri. Et sciendum est quod ego Henricus de Goleceles hec omnia supradicta libere et quiete dedi et confirmavi, tenens jura que sequuntur, que talia sunt, videlicet : si hospes vel heres ejus reliquerit terram, terra in manu Hospitalis remanebit, et frater Hospitalis pro orto et pro octo jornalibus terre predictos redditus debet michi vel heredi meo in supradictis terminis persolvere ; et, si contigerit quod commune exilium penitus terram devastet, ita quod frater Hospitalis nec dominus nec cultores ejusdem ville possint ibi morari per duos annos et amplius, tandiu cessabit redditus. Et sciendum est quod hospites ejusdem ville michi debent tria auxilia, scilicet de relevamine ejusdem feodi adversus dominum meum, et de redemptione corporis mei in deffensione castelli Albemarlie et patrie, et de militia primogeniti mei. Inde sunt testes : Ricardus de Rotors, decanus Albemarle ; Galterus, sacerdos de Ecala (?) ; Reinerus, sacerdos de Alneto ; Galterus, sacerdos de Oirival ; Baldricus, sacerdos de Morviller ; Robertus Revel ; Robertus de Fraitencurt ; Hugo de Marcha ; — Isti sunt clerici : frater Willelmus, preceptor de Sanctitinnanio ; frater Hugo de Doiehier ; frater Radulfus Fargate ; frater Henricus (?) de Orbec ; Alanus de Caigni ; Ingerrannus de Boafles ; Ingerrannus de Forseignies ; Johannes de Belfraisne ; Wermundus d' Aillencurt ; — Isti sunt milites : Robertus de Alneto ; Ricardus de Rotors ; Willelmus Torel, et omnes jurati tunc temporis ejusdem ville. Et si (l. ut) hoc ratum et inconcussum somper permaneat, ego frater Stephanus, et preceptor in Normania, sigilli mei munimine corroboravi. Factum est hoc in ecclesia Beati Petri Albemarle, fratre Daniele existente magistro Hospitalis in Montana Albemarne, anno Incarnati Verbi milesimo ducentesimo secundo, mense septembris.